

tate, censet Oldradus, consil. 9, per totum; card. Tuschus, litt. C. concl. 44, n. 5; Barbosa ad cit. c. *Nihil est*, n. 5, h. t.

49. *Electi in concordia, qui dicantur?* — Cæterum quinam censeantur electi in concordia, nonnihil variant doctores. Et quidem Abbas in d. c. *Nihil est*, n. 4, et ibi Fagnanus, n. 12, post Glossam in c. *Cupientes*, § *Ad hæc*. § *Concordem*, h. t. in 6, electos in concordia dicunt eos, qui sunt electi nemine prorsus discrepante. Sed quia rarissimum est, ut electio fiat de aliquo, in quem omnes nemine discrepante sua vota direxerunt, sicque utilitatibus Ecclesiarum per citatam decretalem parum, aut ferme nihil fuisset provisum: hinc Layman c. *In causis*, 30, n. 4, h. t. ac rursus cit. c. *Nihil est*, n. 6, et Pirhing n. 297, eod. verius esse censent, eam electionem impræsentiarum dici debere concordem, quæ facta fuit vel ab omnibus, vel saltem a majori parte capituli; ita tamen, ut minor pars nullam rationabilem contradicendi causam habeat, sicque consentire debeat, arg. cap. 1, *De his, quæ fiunt a major. part. capit.* cum similibus. Et hæc sententia probabilius sustinetur, quando nullus adest, qui electioni a majori parte celebratæ sese opponit: quia tunc ex post facto omnes in eam consentiunt, ipsamque verbo, aut facto comprobant, nemine discrepante. Quod si vero appareat contradictor, vel contradictores, ad quos spectabat electio, et qui huic jam factæ sese postmodum opponunt; censeatur electio celebrata in discordia, juxta Glossam notabilem in c. *Quorundam*, 24, § *In discordia*, h. t. in 6.

50. *An hæc concessio administrandi ante confirmationem, adhuc sit in vigore?* — Dubitat tamen Engel. h. t. n. 51, num hæc dispensativa concessio administrandi ante obtentam confirmationem adhuc sit in vigore? Quinimo difficultatem auget Extravag. *Injunctæ*. de *Elect.*, inter communes, ubi Bonifacius VIII, sub nullitate actus, et aliis gravissimis pœnis prohibet, ne episcopi, alique prælati, qui apud Sedem apostolicam promoventur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere præsumant, vel a capitulis, aut conventibus recipiantur, donec exhibuerint litteras apostolicas de sua promotione, confirmatione, etc. attestantes. Unde Passerinus, cit. cap. xxxiii, de *Elect.* n. 35, inquit, quod hodie propter dictam Extravag. nulli episcopi, alique præ-

lati, qui debent confirmationem petere a Papa, etiam in remotissimis Indiarum partibus existentes, possint administrare non habitis litteris apostolicis, eorum electionem, confirmationem, seu provisionem continentibus.

51. *An hæc concessio administrandi ante confirmationem adhuc sit in vigore?* — Verum Layman in d. c. *Nihil est*, n. 22, h. t. arbitratur haud quidpiam obstare quominus licentia dicti capituli in Ecclesiis Germaniæ propter earum necessitates, et utilitates, in praxim deduci valeat. Atque hoc ipsum amplius corroborat Pirhing h. t. n. 297 et 303, præsertim cum hæc dispensativa juris concessio sit Ecclesiis favorabilis, atque in ipsarum utilitates principaliter facta. Nec obstat dicta Extravag. *Injunctæ*. Nam ut liquet ex contextu, ibi solum prohibetur, ne quis, asserens se a Papa esse promotum, vel confirmatum, recipiatur a capitulis, aut conventibus, vel administret, priusquam exhibeat litteras apostolicas desuper confectas (et in hoc sensu ea obligat ubique, etiam in ultimis Indiarum partibus). Non autem prohibetur, quin electi extra Italiam in concordia possint dispensative, ac ex concessione juris communis, administrare ante adventam confirmationis apostolicæ: hi enim non administrant ex asserta confirmatione apostolica, sed ex concessione juris, ut dictum. His addi potest Winzlerus tit. 5, de *Jurisdic. episcop.*

52. *Gesta per electum ante suam confirmationem an valeant, si ipse ob defectum aliquem postea repellatur.* — Dices. Talis praxis est valde periculosa; cum possit contingere, quod ejusmodi prælatus ob occultum defectum ante suam confirmationem reperiatur inhabilis, seu inidoneus ad talem prælaturam, et consequenter repellendus: quia tunc, si antea administrasset, ea omnia, quæ medio tempore suæ administraturæ fecerat, forent cassanda: nam cassato principali corrumpunt omnia, quæ ex eo secuta sunt, ut c. *Inter dilectos*, § *Cum igitur*, de *Fide instrument.* simulque accessoriam naturam sequitur principalis, juxta reg. 42 juris. in 6. Resp. negando assumptum: quia, ut notat Glossa fin. § *Sed pone*, in c. *Nihil est*, 44, h. t. et Abbas ibid. n. 10, et seqq. citans communem doctorum, talis prælatus foret in quietâ administratione, et in quasi possessione prælaturæ de licentia Papæ, seu ipsiusmet juris; ac proinde omnia, quæ medio tempore fecit, rata existerent, dummodo nihil de rebus Ec-

clesiæ alienaverit; hoc enim expresse ei prohibebatur. Nec obstant contraria: nam ea procedunt, quando electus non habuit potestatem administrandi a superiore, aut præcessit notoria inhabilitas: secus, ubi defectus erat occultus, simulque intervenit auctoritas superioris, per quam causabatur error communis, qui tribuit jus, ut l. *Barbarius*, ff. de *Offic. prætor.*

53. *IV. Electus in summum Pontificem, potest administrare ante coronationem.* — Quarto procedit conclusio in electione summi Pontificis: nam is a duabus partibus cardinalium electus, atque electionem acceptans, illico sent Papa, et potest administrare etiam ante suam coronationem; ut habetur c. *Licet*, 6, h. t. juncta Extravag. *Quia nonnulli*, de *Sentent. excomm.*

54. *Sicut et Romanus Imperator.* — Idem de Romano imperatore censet Glossa in c. *Avaritiæ*, 5, vers. *Ecclesiarum*, h. t. et amplius in Clem. *Romani*, vers. *Reges de jurejurand.* Abbas, c. *Venerabilem*, n. 26, h. t. dicens, hodie esse receptum consuetudine, ut electus in imperatorem statim administret. Pirhing, h. t. n. 463, allegans insuper Imolam, et communem canonistarum, quam consuetudo et *Aurea Bulla* confirmat. (ADNOTATIO XXXII.)

§ III.

DE PRÆPARATORIIS, IPSAQUE ELECTIONE PER INSPIRATIONEM ET COMPROMISSUM.

55. *Inter præparatoria ad electionem connumeratur vacatura Ecclesiæ, seu beneficii.* — Quæritur I. Quænam inter præparatoria ad electionem connumerentur? Resp. Ea potissimum sunt sequentia I. Vacatura Ecclesiæ, seu beneficii ecclesiastici: nam beneficia non vacantia concedi, vel promitti non possunt, ut, cap. 1, etc., *Nulla*, 2, de *Concess. præbend.*, cum similibus; sicque nec valet electio ad illa.

56. *Et quibus modis hæc contingat?* — Censetur autem Ecclesia, seu beneficium, vacare tum per mortem naturalem prioris prælati, sive rectoris, ut patet; tum etiam per mortem ipsius civilem, seu moralem: ut si ob culpam aliquam gravem deponatur, aut iudice privetur tali prælatura, seu beneficio. Item per translationem prioris prælati ad aliam Ecclesiam; ut can. *Episcopus*, 7, q. 1, et alibi. Item per renuntiationem debite fac-

tam; ut c. *Ex transmissa de renuntiat.*, cum similibus. Item per receptionem alterius incompatibilis beneficii; ut c. *De multa*, 28, de *Præbend.*, cum concordantiis. Item per ingressum prælati in religionem ab Ecclesia approbatam; ut c. *Nisi cum pridem*, 10, et c. *Post translationem*, 11, de *Renuntiat.*, et alibi.

57. *Item sepultura mortui prælati, saltem de honestate.* — II. Inter præparatoria electionis connumeratur honorifica sepultura mortui prælati: uti desumitur, ex c. *Bonæ memoriæ*, § *Electionem*, 36, h. t. Verumtamen, quod electio novi prælati non fiat ante sepulturam demortui, solum est de honestate, non autem de necessitate, seu de substantia electionis. Glossa, in cit. *Bonæ memoriæ*, § *Tractatum*, et Abbas, ibid., n. 5 et 10. Fagnanus, c. *Quia propter*, n. 71, h. t., et alii.

58. *Assignatio loci, et diei certæ ad electionem celebrandam; et an hæc denuo mutari possit?* — III. Assignatio loci, et diei certæ ad electionem celebrandam, arg. c. *Cumana*, 50, etc. *Cum in veteri*, 52, h. t. Cæterum nihil obstat, quin postea, si ita expedire videbitur, possit mutari locus, aut electio in alium diem prorogari. Fagnanus, loc. cit. n. 67, citans alios. Quod intellige, dummodo adhuc electio fiat intra tempus a jure præfixitum: quod est trimestre respectu prælaturarum majorum, c. *Ne pro defectu*, 41, h. t., semestre vero respectu inferiorum beneficiorum a die habitæ notitiæ computandum; ut c. *Nulla*, 5, etc. *Quia diversitatem*, 5, de *Concess. præbend.* Et dummodo particulares constitutiones non obstant; prout, juxta Clem. *Exivit*, § *Demum quia*, de *Verb. signific.*, in Ordine Fratrum Minorum electio ministri provincialis fieri debet eodem die, quo capitulum provinciale fuerit congregatum: sin minus, electio ministri provincialis libere ad ministrum generalem devolvitur.

59. *Convocatio vocalium, missæque sollemnis celebratio.* — IV. Ad electionem celebrandam die, ac loco jam determinato, omnes vocales canonice sunt vocandi, juxta amplius dicenda, § 5, n. 116 et seqq. V. Præter alias preces, supplicationesque, Sede episcopali vacante, publice ac privatim habendas, atque juxta præscriptum concilii Trident., sess. 24, cap. 1, de *Reformat.*, a capitulo per civitatem, et diœcesin indicendas, ipso die electionis specialiter invocatur gratia Spiritus sancti, celebrando missam solemnem; in c. *Cum terra*, 14, h. t. Quam quidem pro forma, et validitate electionis præmittendam esse,

nonnulli doctores volunt, quos citat Barbosa, in *Collectaneis*, ibid., n. 5. et 6. Verum alii non immerito resolvunt: missam de Spiritu sancto in electionibus non esse de essentia, sed solum de solemnitate, ac decentia, nisi alicubi exstet specialis constitutio cum clausula irritante, arg. c. *Quia propter*, h. t., ac notat Abbas, c. *Cum Ecclesia*, n. 1, de *Causa possess.*; Barbosa, cit. n. 6, allegans alios.

60. *Et determinatio formæ electionis.* — Tandem post ingressum vocalium in locum capitularem ac præmissam gravem exhortationem de solo Deo præ oculis habendo, atque eligendo eo, quem quisque digniorem, et pensatis omnibus Ecclesiæ utiliore judicaverit; recensentur nomina singulorum electionum, ac præter iteratam invocationem Spiritus sancti recitato hymno, *Veni, Creator*, adhibentur nonnullæ cautelæ, atque ceremoniæ, pro cujuslibet ecclesiæ laudabili consuetudine, ipsi actui electionis præmittendæ, (de quibus Thomas Zerola in *Præxi episcopali*, part. I, §. *Electio in forma instrumenti electionis*) sit determinatio, sub qua forma placet instantem electionem celebrare; nisi forsitan hoc punctum jam antea inter capitulares fuerit discussum, atque resolutum. Pro cujus proinde meliori intelligentia,

61. *Forma electionis, quid?* — Quæritur II. Quid, et quotuplex sit forma electionis? Resp. I. Per *Formam electionis* intelligitur modus ille, quo celebrari debet electio, ut sit canonica: hoc est, facta juxta præscriptam sacrorum canonum, videlicet absque vitio formæ electionis, eligentium, ipsiusque electi.

62. *Est triplex, nempe forma scrutinii, compromissi, et inspirationis.* — Resp. II. Formæ electionis est triplex, videlicet forma scrutinii, compromissi, et inspirationis. Ita communis et habetur expressum, in c. *Quia propter*, 42, h. t., ubi generaliter reprobantur aliæ diversæ electionum formæ, decernendo insuper, quod « aliter facta electio non valeat: » simulque quod illi, « qui contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur. »

63. *Electio per sortes reprobatur.* — Resp. III. In specie autem « Electio per sortes » reprobatur, fierique prohibetur, in c. *Ecclesia vestra*, 3, de *Sortilegiis*. Adeo quidem, ut electio per sortes sit nulla, utpote facta contra dispositionem juris, in cit. c. *Quia propter*, contentam. Glossa fin. et Abbas, in d. c. *Ecclesia vestra*, n. 5; neque per sortes lis dirimi pos-

sit, etiamsi duo pari numero suffragiorum ad beneficium ecclesiasticum sint electi. Pirhing, n. 10, de *Sortilegiis*. Ratio est, quia ipsimet electores tenentur ad officia ecclesiastica eligere meliorem, et magis Ecclesiæ utilem, quem norunt; et si in hoc non possunt concordare, determinant istud per compromissarios. Alioquin autem periculum est, ne sors cadat super indignos, vel minus dignos. Imo per sortes tentatur Deus, dum sortes mittentes circa obtinenda beneficia ecclesiastica volunt, ut Deus revelet meliorem, cum tamen ipsi hunc eligere possent, ac deberent. Glossa, et Abbas, ubi supra, solventes contraria. Miranda, tom. II, *Manual. prælat.*, cap. xxiii, art. 18, et alii: quamvis Garcias, part. V, de *Beneficiis*, cap. iv, n. 203 et seqq., asserat, in certo casu, ac paritate votorum, tandem esse deveniendum ad sortes.

64. *Electio per inspirationem.* — Quæritur III. Quid sit electio per inspirationem, vel quasi inspirationem? Resp. I. « Electio per inspirationem est, » quæ fit per veram revelationem divinam: qualis fuit electio sancti Nicolai in episcopum Myrræ; et sancti Ambrosii, cum nondum fuisset baptizatus, in archiepiscopum Mediolanensem, et sancti Severi; de quibus fit mentio, in can. *Statuimus*, §. *Et contra* dist. 61, juncta Glossa, ibid. Et de hac expresso non loquimur, cum a solo Deo proveniat, neque legibus humanis ullatenus subjaceat.

65. *Et quasi inspirationem, quæ?* — Resp. II. « Electio per quasi inspirationem » tunc censetur fieri, quando nullo præcedente tractatu omnes electores communiter, et quasi uno corde, ac ore, in unum eundemque consentiunt: Ob hanc enim singularem concordiam talis quasi per inspirationem sancti Spiritus, animos omnium moventis, electus creditur. Et de hac electione, ejusque validitate, fit sermo in cit. c. *Quia propter*, 42, h. t., illis verbis: « Aliter electio facta non valeat: nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem, absque vitio celebrata. »

66. *Hæc debet esse absque vitio celebrata, quomodo?* — Notanter additur, « absque vitio, scilicet simoniæ, conpirationis, seu conjuracionis, sollicitationis, requisitionis, et consensus extra capitulum ante electionem dati, atque omnibus et singulis libere consentientibus, facta sit. Alioquin enim non dicitur electio quasi per inspirationem celebrata, arg. c. *Per inquisitionem*, 26, et c. *Cum post petitam*, 46, h. t., cum similibus; ac notat

Hostiensis, in Summa, de *Electioe*, §. *Tertia est*, n. 13, de quo proinde superior ante datam confirmationem cognoscat.

67. *Electio ad clamorem populi, non est confirmanda.* — Insuper electas ad clamorem populi non debet per superiorem confirmari; ut habetur, in c. *Osius*, 2, h. t., addita hac ratione: « Cum manifestum sit potuisse plures eorum, qui sinceram fidem non habent, præmio et mercede corrumpi, ut clamarent in Ecclesia, et ipsum petere viderentur. » Proinde talis electio neququam censetur facta per quasi inspirationem.

68. *Electio per compromissum, quid?* — Quæritur IV. Quid sit electio per compromissum, et quando locum habeat? Resp. I. « Electio per compromissum » tunc fit, quando capitulares præsentem facultatem eligendi in unum, vel plures idoneos viros conferunt, qui vice omnium eligant. Ita in re communis; et patet ex c. *Quia propter*, h. t., ubi forma electionis per compromissum sequentibus verbis exprimitur: « Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium, ecclesiæ viduatæ provideant de pastore. » Concordat, c. *In causis*, 30, eod. cum similibus.

69. *Compromissarii, quales esse debeant?* — Resp. II. Nihil interest, an compromissarii (id est, illi, in quos ipsi capitulares compromittunt) sint de gremio ipsius capituli, nec ne. Ita Glossa, communiter recepta, in cit. c. *Quia propter*, §. *Viris*. Quæ etiam notanter addit, quod, licet textus allegatus dicat, « aliquibus viris idoneis, » nihilominus uni etiam potestas eligendi possit committi, ac in eum compromitti, arg. c. *Causam*, 8, h. t. ubi moniales pro electione abbatissæ, et in extraneum, et in unum, nempe in episcopum compromiserunt.

70. *Non possunt esse laici.* — Intellige, dummodo dicit compromissarii sint « viri idonei, » id est, prudentes ac probi, simulque clerici. Siquidem laicis ecclesiastica tractare negotia nullatenus competit, cap. II, de *Judiciis*. Atque in specie generaliter « prohibetur, ne super rebus spiritualibus compromittatur in laicum: quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur, » prout legitur, in c. *Contingit de Arbitris*, et amplius Glossa ibidem, et doctores passim.

71. *Ad compromissum requiritur consensus omnium vocalium.* — Resp. III. Ut electio per viam compromissi locum habeat, requiritur consensus omnium vocalium, adeo ut unius

dissensus compromissum impediatur. Ita Glossa in cit. c. *Quia propter*, §. *Vice omnium*, h. t., et ibi Abbas, §. *Vel saltem*, num. 2 et 6, asserens ita tenere doctores communiter. Idque satis patet, ex cit. c. *Quia propter*, ibi: « Qui vice omnium, » etc., et per consequens debent omnes consentire, adeo ut aliter electio facta non valeat; prout ibidem statim subjungitur. Accedit ratio, quia istud interest singulorum, et alioquin unus eligentium privaretur invitæ voce sua activa. Unde locum habet reg. 29 juris in 6. « Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. » Et alia reg. 36. « In re communi, potior est conditio prohibentis. »

72. *Compromissum aliud absolutum.* — Cæterum data conclusio est intelligenda dumtaxat de compromisso absoluto, non autem de limitato. Duplex siquidem est compromissum, absolutum videlicet, et limitatum. « Compromissum absolutum » est illud, vi cujus omnis potestas eligendi a capitularibus translata est in compromissarios, ita ut hi possint eligere quemcumque idoneum. Unde virtute talis compromissi potest eligi etiam is, qui non est de gremio capituli, si sæcus non exprimat. Glossa, in c. *Cum dilectus*, 32, §. *De gremio*, h. t., ac desumitur, ex c. *In causis*, 30, eod. ubi compromissarii vi compromissi absoluti postularunt episcopum alterius ecclesiæ.

73. *Aliud limitatum, quid?* — « Compromissum limitatum » generatim loquendo dicitur omne illud, per quod datur compromissariis potestas eligendi solum cum restrictione aliqua, v. g. ut eligant unum de gremio ipsius ecclesiæ; prout factum in cit. c. *Cum dilectus*; vel, ut electio fiat adhibito aliquorum consilio; ut c. *Cum in veteri*, 52, h. t.; vel quando alia hujusmodi restrictio fit.

74. *Compromissum limitatum, magis specialiter loquendo, quale?* — In proposito autem, et magis specialiter, per « compromissum limitatum » intelligitur solummodo illud, vi cujus capitulares compromittunt in aliquos sub hac forma, ut compromissarii exquisitis secreto votis singulorum illum eligant, qui a majori parte capituli nominatus fuerit. Et de hoc habetur casus in c. *Cum dilectus*, 32, h. t. et c. *Cum expediat*, 29, eod. in 6, ubi simul declaratur hunc eligendi modum per compromissum limitatum, non esse abrogatum in concilio generali, relato in c. *Quia propter*, h. t. sed posse practicari, ut prius. Ac merito: quia continetur sub forma compromissi

ibidem approbati, quodque postea subdividitur in absolutum, et limitatum.

73. *Et quando vi hujus sit valida electio?* — Additur notanter, « a majori parte capituli. » Nam si compromissarii secundum traditam sibi potestatem eligant eum, in quem non major pars capituli, sed tantummodo plures aliorum comparatione consenserunt, non valet electio: cum præter tres formas, in cit. c. *Quia propter*, relatas, dignoscatur esse attentata, text. clar., c. *Si cui*, 23, h. t., in 6. Adeoque tunc solum valet tale compromissum limitatum, quando datur compromissariis potestas eligendi eum, in quem saltem major pars consenserit. Passerinus, cap. xxii, de *Electione*, n. 5, et alii.

76. *Ad hoc sufficit consensus majoris partis vocalium, et cur?* — Porro ad compromissum taliter limitatum sufficit, quod compromissarii eligantur a majori parte capituli, ut notat Angelus, in Summa, §. *Electio*, n. 27, citans Lapum, et Geminianum, in c. *Cum expediat*, h. t., in 6; Passerinus, cit. cap. xxxiii, n. 20, allegans insuper Francum, Rosellam, Tabienam, et alios. Ratio est: quia per hunc electionis modum nulli eligentium fit aliquod præjudicium, cum quilibet possit nominare eum, quem vult: simulque compromissarii non possint eligere alium, nisi nominatum a majori parte capituli.

77. *Forma compromissi limitati, quomodo differat ab electione per scrutinium?* — Neque hinc quis inferat, quod forma compromissi limitati prorsus coincidat cum electione per scrutinium. Resp. enim cum Glossa, in c. *Cum expediat*, 29, §. *Inquisitis*, et Layman, ibid., h. t., in 6; Engel, n. 41, eod., et aliis, quod hæc forma sit mixta ex scrutinio, et compromisso, ac proinde forma scrutinii in ipsa a compromissariis sit observanda: adeo quidem, ut si plures sint compromissarii, per unum eorum pronuntianda, et facienda sit communis electio, atque aliter facta, electio non teneat, text. clar., c. *Sicut cum*, 21, h. t., in 6, adhuc tamen ea principaliter dicatur esse forma compromissi. Ratio hujus est: quia in electione per scrutinium ille, cui ex scrutatoribus committitur electio communis, eligit vice præsentium electorum, sive capitularium: e contra in compromisso eligit compromissarius vice propria, vel compromissariorum, si sunt plures; hæc enim potestas jure compromissi a capitularibus in ipsum, vel ipsos, translata fuit. Passerinus, loc. cit., n. 16. Deinde in hoc compromisso potest in-

tervenire unus compromissarius, vel plures tribus: non sic in electione per scrutinium potest esse unicuique scrutator. Tandem forma compromissi limitati est expeditior, et faciliior, quam forma electionis per scrutinium: cum in illa non requirantur tot substantialia, quot in ista, adeo ut in hac etiam boni juristæ, practicam ignorantes, quandoque deficiant. Glossa, loc. cit. Atque ideo hanc formam mixtam hodie esse usitatiorum, et expeditiorum, quam est forma compromissi absoluti, et scrutinii, notat etiam Pirhing, h. t., numer. 210.

78. *Per tale compromissum limitatum fiunt electiones superiorum majorum in Ordine Fratrum Minorum.* — Et hinc non mirum, quod in Ordine Fratrum Minorum electiones superiorum majorum in capitulis generalibus, et provincialibus, soleant fieri per hujusmodi compromissum limitatum, utpote modum eligendi cæteris faciliorem, et expeditiorem: prout liquet ex illa formula, qua juxta præscriptum statutorum generalium, cap. viii, § 3, unus disquisitorum, sive scrutatorum, post enumerata, quot quisque habuerit vota, electionem communem sive capitularem circa personam reportantis plura ultra medietatem in scrutinio vota faciens, pronuntiat in hæc verba: « Et ego Fr. N. ejusdem Ordinis professor, unus ex disquisitoribus, et compromissariis, virtute compromissi in me, et in socios meos limitati, nomine omnium, qui in dictam electionem consenserunt, præfatum N. ministrum provinciale canonice electum nomino, et sic electum denuntio, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. » Ubi ly, « virtute compromissi in me, et socios meos limitati, » clare denotat præsens assertum: quanquam in electionibus ejusdem ordinis electores, et confirmatores non arctari solemnitatibus, aut formis juris, eadem statuta generalia loc. cit. recte moneant; idque ob constitutionem beati Pii V, quæ incipit, *Pastoralis*.

§ IV.

VARIA DUBIA CIRCA ELECTIONEM PER COMPROMISSUM RESOLVUNTUR.

79. *Compromissum potest revocari re integra: alias secus.* — Quæritur I. An, et qua ratione compromissum, seu potestas eligendi data compromissariis, revocari valeat? Resp. I. Re integra potest potestas data compro-

missariis a compromittentibus libere revocari: secus, si res non amplius sit integra. Ita desumitur ex c. *In causis*, 30, h. t. ubi in facti contingentia Pontifex declaravit, quod potestas data compromissariis ad eligendum prælatum amplius revocari non potuerit, hæc addita ratione: « Cum res non esset integra, quia in tractatu jam processerant electores, » seu compromissarii. Ergo argumento a sensu contrario desumpto (quod est fortissimum in jure) si res adhuc est integra, potest compromissum libere revocari; prout argumentatur Abbas in cit. c. *In causis*, num. 41, ac notat Barbosa ibid. numer. 4; Pirhing, h. t. num. 220; Passerinus, d. cap. xxii, num. 25, citans alios. Sic quippe in simili potestas judicis delegati re integra expirat morte delegantis: secus si res amplius non sit integra, ut c. *Relatum*, 19, et c. *Licet*, 30, de *Offic. delegat.* Similiter mandatum re integra potest revocari, § *Recte*. instit. de *Mandato*, cum similibus. Accedit ratio, quia re integra nihil interest compromissariorum, si tradita eis potestas eligendi revocetur: secus, si in negotio jam processerunt, sicque eorum potestas cum effectu transivit in ipsos, atque in eis radicata existit.

80. *Solvuntur rationes in contrarium allegatæ.* — Fatendum tamen, quod Glossa in d. c. *In causis*, §. *Cum res non esset integra* non parum dubitet, an re integra possit adhuc compromissum revocari; tum quia, « quod semel placuit, amplius displicere non potest, » ut habet reg. 21 juris in 6: tum quia perfecta donatio non revocatur, l. *Si donationem*. C. de *Revocat. donat.* cum similibus: atqui talis hic intervenire censetur cum electores libere compromissariis concesserint jus eligendi, illudque isti acceptarint. Verum, ut bene notat Abbas, loc. cit. n. 11, et Layman. in d. c. *In causis*. n. 7, citans insuper Innocentium, Joan. Andream, et alios, hæc rationes solummodo urgent, quando compromissariis data est potestas eligendi in gratiam, seu favorem ipsorummet compromissariorum, ut videlicet hæc ratione specialiter honorentur; tunc enim ea nequit revocari, etiam re integra, cum secuta acceptione habeat rationem perfectæ donationis. Secus est, quando compromissariis data est illa potestas, non favore suarum personarum, sed solum intuitu Ecclesie, puta, ut nuic per viam compromissi facilius provideretur: tunc enim compromissarii censentur esse nudi ministri, ac

deputati executores, habentes mandatum eligendi vice omnium; sicque ad instar alterius mandati potest revocari re integra.

81. *In dubio, an censeatur compromissariis data potestas gratia sui, vel favore Ecclesie?* — Cæterum in dubio, an compromissariis data sit potestas favore Ecclesie, vel gratia sui, idque ex prius actis nequeat resolvi: præsumendum est, compromissum priore modo, videlicet ob utilitatem Ecclesie fuisse factum, et non posteriore modo, seu gratia compromissariorum. Siquidem gratia non est præsumenda, arg. cap. ult. de *Translat. episcop.* et l. *Cum de indebito*, § 1, ff. de *Prohibitionib.* Abbas loc. cit. n. 12; Layman. et alii.

82. *Res integra in proposito, quamdiu sit?* — Porro *Res integra* in proposito censetur esse tamdiu, donec compromissarii inceperint ipsummet negotium compromissi quantum ad substantialia, tractando videlicet inter se de persona eligenda; prout desumitur ex cit. c. *In causis*. h. t. ac notat Abbas ibid. num. 7, citans Innocentium; et Barbosa num. 4; Layman, num. 7, et alii. Qui omnes concorditer asserunt, si tantum præcesserit solemnitas præparatoria, v. g. Missa cantata de Spiritu sancto, adhuc dici rem integram, donec compromissarii de persona eligenda tractare inceperint.

83. *Compromissum nequit revocari a paucioribus.* — Resp. II. Nihilominus re etiam integra compromissum non potest revocari a paucioribus capitularibus, ac multo minus ab uno solo, sed tantum a majori parte capituli. Ita Abbas, loc. cit. num. 16, contra Innocentium; Pirhing, h. t. num. 225; Passerinus, ubi supra, num. 27, citans alios. Ratio est: quia, ex quo compromissum semel a toto capitulo factum est, ac tenuit, non potest revocari, nisi a majori parte capituli, arg. cap. i. *De his, quæ fiunt a majori part. capit.* cum concordantiis. Quinimo id cederet in detrimentum totius capituli, si quod communi omnium consensu statutum est, ab uno cæteris contradicentibus rescindi posset. Unde urget illa recepta reg. 33 juris in 6: « Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. » Intellige, nisi minor pars ostendat compromissum ob publicam utilitatem esse revocandum, eo quod Ecclesie damnosum sit; prout hoc ipsum generaliter limitatur in cit. cap. i. *De his, quæ fiunt a majori part. capit.* ac notant auctores præallegati.

84. *Solvitur instantia.* — Dices: Poterat